De Actionibus Potentiarum.

79. P*Ondus* vocamus omne corpus, quod ſuſtinetur, tollitur, deprimitur, propellitur aut trahitur, aut quacunque ratione alia movetur.

80. Hinc termini *pondus tollere* ampliſſimus ſenſus eſt in mechanicis: namque & v. g. corpus propellens, motum corporis ſiſtens &c. potentia pondus tollere dicitur.

81. *Potentiam* vocamus omne id, quo utimur ad tollendum pondus (80.)

82. Potentiae nomen non minus univerſale quam ponderis (79. 80.) nec refert, an ſit corpus grave, an elaſterium, an motus aëris, aquae, flammae, fumi, an vis animalis, operantis vel per vim ſuam, vel per gravitatem, vel per utramque ſimul.

83. Potentia quantumvis minima, aucta, pro ratione, celeritate, pondus quantumvis maximum ſublevabit, atque id valet in infinitum.

84. Ita intelligendus Archimedes, quando, ſe integram tellurem, modo punctum fixum conveniens extra ipſam daretur, ſublevaturum pollicebatur.

85. Vim lucrando tempus perdendum eſt, viciſſimque tempus lucraturo major vis applicanda.

86. Exempla largiuntur *Balliſtae* Veterum,